

SYMBOLA  
AD INTERPRETATIONEM PSALMI  
SEXAGESIMI OCTAVI

DISPUTATIO THEOLOGICA

QVAM

PRAESIDE

ACADEMIAE VITEBERGENSIS HOC TEMPORE

RECTORE MAGNIFICO

ERNESTO FRIDERICO

WERNSDORF

THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD. FACVLT.

THEOL. SEN. ET ELECTORAL. ALVMN. EPHORO

PRO IMPETRANDIS

BACCALAVREATVS THEOLOGICI  
IVRIBVS

AD DIEM NOVEMBR. CIO IO CCLXXVIII.

PVBLICE DEFENDET

A VCTOR

FRANCISCVS VOLKMAR REINHARD

AA. MAG. S. THEOL. BACCAL. ET ORD. PHILOSOPH. ADI. ORD.

VITEBERGAE,

EXCUDIT ADAMUS CHRISTIANUS CHARISIUS.

Coll. diss. A  
234, 29

*Diss. A. 234 (29)*



INSTITUTIONEM  
MAGNIFICENTISSIMO

THEOLOGICA  
MAGNIFICENTISSIMO  
WERNISDORF


TITOL. DOCT. ET PROF. ORD. FACULT.  
THEOL. SUP. ET INDUCTOR



THEOLOGICA  
MAGNIFICENTISSIMO  
WERNISDORF

THEOLOGICA  
MAGNIFICENTISSIMO





## SYMBOLA AD INTERPRETATIONEM PSALMI SEXAGESIMI OCTAVI.

**C**um multa sunt in libris Hebraicis V. T. nondum satis explicata; quod ii minime ignorant, qui temeritatem in fingendis verborum significationibus pertaesi, certiora quaerunt: tum perdifficilis est psalmi LXVIII. interpretatio, de qua tam variae sunt ac discrepantes virorum doctorum sententiae, vt, qui eas cognouerit, is multo incertior sit, quam ante. Videtur autem ista difficultas duabus caussis effici. Ac primo quidem multa verba continet hoc carmen rariora, quae non nisi semel leguntur, ac vim habent exquisitiorem. Quibus quoniam saepe ab interpretibus potestas subiecta est non tam rite demonstrata, quam diuinando ficta: dici non potest, quantopere natiua carminis obscuritas his interpretamentis creuerit. Deinde argumen-





tum ipsum et apta partium coagmentatio ita latent, vt, quid sit, quod vates canat, et quomodo singula copulet et coniungat, vix videatur ostendi posse. Illam quidem difficultatem, quae oritur ex obscura verborum singulorum potestate, recentiorum quorundam interpretum diligentia, linguis, quas dicunt, cognatis, et vetustis versionibus in consilium adhibitis, magnam partem sustulit ac discussit. Quorum virorum scriptis me vsurum esse, breuitatis causa statim ab initio gratus profiteor, ne singulis locis, quid cuius debeam, commemorandum sit, et excitandis aliorum libris hic noster libellus obruendus. Sed alterum, quod impedire dixi huius psalmi interpretationem, obscuritas argumenti et singularum partium copulatio, nouam videtur interpretis diligentiam postulare, cum, quae passim leguntur, vel prorsus incerta sint, vel non nisi parti accommodata, a toto aliena. Qua de re cum nuper accuratius cogitarem, et quaedam inuenisse mihi visus essem, quae carmini lucem affunderent: oblata hac opportunitate scribendi viris doctis, quae mihi viderentur, exponere decreui. Cum vero alienissima a me sit ea arrogantia, quae verum se prae reliquis omnibus videre iactitat; egoque probe sciam, quot cautiones habeat accurata librorum sacrorum interpretatio: ita hac de re disputabo, vt, quae dicturus sim, non tam confidenter affirmem, quam idoneis harum rerum arbitris iudicanda proponam. Erit igitur haec disputatio tripartita. Primo quidem *de argumento carminis vatisque consilio* pauca differam; deinde *versionem* adiiciam, non nimis illam verborum

rum





rum tenacem, sed quae Hebraica appendat lectoribus; hanc denique *annotatione perpetua* illustrabo, vim carminis ac sententiam latius persecutura.

Non itaque copiosus ero in commemorandis iis, quae viris doctis de argumento huius carminis visa sunt. Quorum opiniones si quis cognoscere cupit, congestas inueniet in *Opere biblico Anglicano*, et IOH. HENR. MICHAELIS *annotationibus in psalmos*. Inprimis autem commendo, quae IO. DAV. MICHAELIS, *Vir Cel.* ad LOWTHII *praelectiones* notauit pag. 557. sqq. et ad *versionem psalmorum vernaculam*, pag. 136. sqq. Quibus addi possunt, quae *Cel.* STARKIUS commentatus est in libello: *sylloge commentationum et observationum philologico criticarum* pag. 136. Alios psalmorum enarratores satis notos iam praetermitto. Quid mihi hac de re videatur, paucis aperiam. Videtur hoc carmen a Dauide confectum esse eo tempore, quo arcam foederis transferret ad montem Sionem, 2 *Sam.* VI. 12 – 20. et 1 *Chron.* XV. Ex ea enim re lucem capit ipsum initium carminis, et inprimis illustratur v. 17. Quod cum accidisset haud ita diu post deletas reliquias superstitionis vetustae, quae in isto monte usque ad tempora Daudis durauerat, 2 *Sam.* V. 6 – 10. rex, facta rerum conuersione tam laeta, concitatus afflatu diuino, cecinisse videtur hoc carmine *beneficia Iehouae, quibus rempublicam Israeliticam, ab exiguis profectam initiis, auxerit, exornauerit, et cumulaturus esset etiam in posterum.* Iam, quoniam satis constat, Iehouam, qui populum Israeliti-





cum formauerit, rempublicam legibus constituerit, Israelitas per deserta duxerit, atque omnino summis beneficiis auxerit, *legatum Iehouae*, seu *filium Dei* esse; *Exod.* XXIII. 20. *1 Cor.* X. 4. *Psal.* XCV. 8 – 11. *coll. Hebr.* III. 7 sqq. ad eum omnia pertinere existimo, quae hic dicuntur. Inesse enim in carmine ipso argumenta multa, quae hoc ostendant, passim in expositione planum faciam. Nec mirum est, Daudem hunc legatum Iehouae canere, qui diligenti librorum Mosis lectori non poterat non notissimus esse. Inde non modo difficultates quaedam expediuntur, quae interpretes nonnullos eo adegerunt, ut de mutanda lectione cogitarent; verum etiam intelligitur, cur Paulus apostolus locum quemdam carminis nostri de Christo exponat; qua de re infra plura dicentur. His praemissis, oratio ipsa mihi sic procedere videtur. Primo vniuerse laudat vates Iehouam, populi sui vindicem seuerum, in quo sita sit omnis Israelitarum salus; v. 1 – 6. Celebrat autem imprimis seueritatem in coercendis hostibus, quoniam ea beneficia, quae deinde canit, maxime ex hoc genere sunt, ac cernuntur in reprimenda hostium vi. Deinde altius; repetit origines populi, canit migrationem ex Aegypto, datas in monte leges, redactam in potestatem Palaestinam, deuictis, qui arma mouissent, regibus, v. 7 – 15. Quae omnia ita persequitur, ut paucis verbis attingat res, in Historia sacra vberius expositas, et isto tempore omnibus notas. Nobis vero illa breuitas propterea molestior est, quod non semper ita in promptu sunt res olim gestae, ut, quid vates canat, statim succurrat. De-

latus





latus deinde ad beneficium recens, celebrat electam in Sione regni sedem: ac ne quis existimet, Numen Israelitarum Palaestinae finibus cohiberi, et ex eorum numero esse, quae aliorum populorum superstitione colat: ostendit, Iehouam etiam in caelo regnare, eiusque imperio aliquando reliquos etiam orbis terrarum incolas subiectum iri v. 16 – 19. Haec sunt, quae hoc tempore enarrabimus; reliqua enim, libelli angustiis impediti, alii opportunitati seruamus. Verba carminis ita fere conuertenda censeo.

MAGISTRO CHORI; CARMEN DAVIDIS,  
AD INSTRUMENTA MUSICA  
CANTANDVM.

- 2 *Surgat Deus, dilabantur hostes eius, et fugiant inimici eius conspectum.*
- 3 *Vt dispellitur fumus, eos dispelles; ut cera liquefit igne, pereant rei coram Deo.*
- 4 *Iusti vero gaudeant, et exsultent coram Deo, et laetitia gestiant.*
- 5 *Canite Deum, ipsi psallite; viam munite per deserta vecto; in Iah inest nomen eius; igitur coram eo exsultate.*
- 6 *Qui est orbium pater, vindex viduarum; Deus, qui in adyto suo habitat.*

7 *Deus*





- 7 *Deus facit, ut prole destituti domum impleant; educit  
vinctos ad abundantiam; sed oppressores degunt in sa-  
xo sterili.*
- 8 *Cum imperator duceres, Deus, populum tuum; cum a-  
scenderes per deserta; sela —*
- 9 *Terra contremuit, ipsum caelum stillavit praesente Deo,  
hic Sinai, praesente Deo, Deo Israelitarum.*
- 10 *Imbrem largum fudisti, Deus; peculium tuum ac mo-  
rientia siti rigasti.*
- 11 *Animalia tua in eo habitant; illudque, quae est tua be-  
nignitas, inopi aptum reddis.*
- 12 *Domino laetum nuntium dante, nuntiantium femina-  
rum ingens turba est.*
- 13 *Reges cum exercitibus fugiunt, fugiunt, et materfami-  
lias partitur spolia.*
- 14 *Ne inter canales cubate, inter alas columbae, argento  
obductae, cuius pennae pallido auro flauent.*
- 15 *Deo reges in ea dissipante, albescit regio ad Sal-  
monem.*
- 16 *Mons Basanitidis Dei mons est; mons Basanitidis,  
asper ille et niualis.*
- 17 *Cur inuidetis, montes niuales, monti, quem deligit sibi  
Deus sedem; imo Iehoua aeternum ibi habitabit.*





18 *Copiae Iehouae duae sunt myriades, millia in se ducta; Dominus ipsis praeeft, is, cui etiam Sinai sanctus est.*

19 *Ascendis ad loca summa, captiuorum ducis agmina; accipis pro hominibus munera; etiam oppressores (cepisti) ut habeas, Iah Deus, ubi habites.*

Sequitur, ut iam copiosius exponamus cum formularum vim et elegantiam, tum omnino sententiam carminis partiumque aptam consensionem. Summa igitur beneficia persecuturus vates, quibus affecerit Deus populum Israeliticum, primo quidem, oratione ad Iehouam conuersa, rogat, ut iustae causae etiam in posterum succurrat; ac deinde surgentem ad res maximas gerendas inducit Deum et accingentem sese; suosque hortatur, ut de tanto rege gaudeant, et ad res ab ipso gestas et in posterum perficiendas animum diligenter attendant. Igitur

v. 2. alloquitur Deum ea formula, qua Moses quondam uti solebat, quando arca foederis locum mutabat. Si Dauides haec cecinit, cum arcam transferret ad Sionem: facile intelligitur, cur ab hac potissimum formula carminis initia capiat. Sententia est: *Iehoua, Israelitarum dux et Numen, quo adhuc fauore tuitus est populum suum, eo etiam in posterum nos complectatur.*

B

Optat





Optat itaque v. 3. vt tanti Numinis potestas maxime conspicua fit in vincendis ac fugandis hostibus. In verbo תנרף antiqui interpretes, *Alexandrini, Vulgatus, Arabs, Syrus* et ipse denique *Chaldaeus* aliam lectionem expressisse, ac legisse videntur יִנְרָפוּ; quam lectionem cum sit elegantior, et membrorum aequalitati accommodatior, *Ill. MICHAELIS* et *Cel. STARKIUS* receptae praeferunt. Mihi nihil mutandum videtur, partim quod non quaeuis lectio elegantior, statim est verior; quae res quam caute tractanda sit, nemo grauius docuit *IO. MATTH. GESNERO* in *praefatione ad Horatium*; partim quod non video, quomodo scribarum imperitia potuerit ינרפו deprauiare in תנרף, quod profecto locum reddit difficiliorem. Ceterum notanda hic est imaginum elegantia, a fumo, aura quauis leui dispulso, et a cera, facile diffluente, ductarum ad exprimendam hostium imbecillitatem, quae diuina vi facile conficiatur. רשעים non esse malos, vt vulgo vertunt, sed reos, qui malam causam habeant, adeoque hoc loco *oppressores Israelitarum iniustos* et vsus in libris sacris, et orationis contextus ostendit.

Sed hoc eam ob causam optat vates, vt v. 4. laetandi materiam habeant iusti. צריקים sunt ii, quorum causa iusta est, innocentes, hoc est, *Israelitae*. Ad hos itaque iam conuersus, aduentantem inducit Deum, eosque monet, vt iam carmina dicant, viamque sternant. Sed de formula סלו כערבות plura monenda sunt. Dici non potest, quot obserua-





observationibus obscurarit hunc locum vetustorum ac recentiorum male sedula industria; fuerunt enim imprimis copiosi in explicando nomine ערבות, seu loco eo definiendo, per quem vehi dicitur Deus; quem multi putarunt *caelum* esse, non cogitantes, nec linguae usum consentire, nec homines posse in caelis vias sternere. Secuti autem videntur *Chaldaeum* et *Rabbinos*. Alii *occafum* interpretati sunt, vt *Alexandrini*, *Syrus*, *Vulgatus*, *Arabs*; sed non video, quae sic efficiatur commoda loci sententia. Nam quod *STAR-KIVS*, V. Cel. putat, Deum sic fingi ab Aegypti finibus Cherubis vectum, id, vereor, vt Geographis satis probet. Alii denique *mundum sterilem et vastum* explicant; scilicet ad allegorias delapsi. Mihi quidem sic videtur. Verbum ללס esse *viam munire*, tum ex aliis locis, vt Ies. LVII, 14. LXII, 10. intelligitur, tum antiquorum interpretum auctoritate certum est. *Aquila* enim vim, vt solet, propriam sectatus, ἀποσκολοπίσατε vertit; *Symmachus* κατασρώσατε ὁδόν, *Alexandrini* ὁδοποιήσατε. Vocabulum ערבות recte intellectum est a *Symmacho* et *Hieronimo*, quorum ille ἐν τῇ ἀοικίτῳ, hic in *desertis* vertit; habet etiam apud Arabes eam vim. Iam vero quoniam formula ad mores regum antiquorum alludit, qui iter facturi mittere solebant viam munituros: equidem puto, hic non quoduis poetae verbum ad viuum refecandum, non quaerendum esse, quae sint deserta, quae via, qui lapides, quibus sternatur; sed omnino hoc velle vatem: *iam cum surgit Deus, vt auxilium ferat, et res magnas perficiat,*





*ficiat, animum attendite, nec agenti repugnete.* Sic certe intelligimus locos alios, veluti Ies. XL, 3. Matth. III, 3. cet. vt mirum fit, viros doctos hic potissimum nimis esse verborum tenaces.

Iam caussa additur, quae animos Israelitarum erigere et ad obedientiam impellere possit. Pergit enim vates ביה שמו. Hic vero puncta mutanda censet Ill. MICHAELIS, ac negat, alio modo posse formulam explicari. Difficultatem creat illud ב, quod vetusti interpretes, praeter *Symmachum, versionem quintam et Hieronymum*, non exprimunt. CAPELLVS et HVBIGANTIUS delendum censent, quod Ill. MICHAELIS, cum testes, quos diximus, antiqui adint, non audet. In quo lubenter assentior Viro Summo, atque etiam illud probo, quod monet, parum accuratam esse vulgarem versionem: *Iah est nomen eius*; quippe quae difficultatem non tollit, sed dissimulat. Nec admittit Vir Doctissimus excusationem formulae ex Arabico Beth, quod dicitur, essentiae desumptam; scribendum enim fuisset יה בשמו. His omnibus motus, censet, legendum esse ביה, quod verbum apud Syros superstes est in ביה, ac notat *solari*, vnde vertit: *nomen eius recreat*. Ego lubenter fateor, elegantem esse hanc sententiam, nec alienam ab hoc loco. Venerunt tamen quaedam in mentem, quae tueri possint lectionem vulgarem. Si enim vera sunt, quae supra diximus, Deum, quem vates canat, esse filium Dei, Israelitarum ducem per deserta: potest in hoc loco

loco





loco inesse allusio ad verba Exod. XXIII, 20. vbi Iehoua de eo duce profitetur שמי בקרבו, *nomen meum in eo est*. Hinc erit sententia: *libentes veneramini aduentantem Israelitarum ducem: in eo enim inest Iehouae dignitas*. E qua obseruatione etiam alter locus, qui hanc formulam habet, Ies. XXVI, 4. lucem accipit.

Iam commemorat vates, qualem se Deus, ad agendum exsurgens, gesturus sit. Sententia esse videtur: *quamquam in adyto caelesti habitat, adeoque abesse videtur a rebus humanis; tamen est vindex inopum et oppressorum, et ita rem populi sui administrat, ut vim iniustam reprimat*. Sic aditum sibi parat vates ad commemoranda beneficia, quibus populum Israeliticum cumulauerat Deus, adeoque paullo altius repetit ipsas eius origines.

Pergit enim v. 7. אלהים מושׁיב יחורים-ביתה. Hic, non puto, locum communem esse, vt vulgo videtur interpretibus: sed pertinere formulam ad conditores populi Israelitici, inprimis Abrahamum, diu prole destitutum; quem propterea prophetae dicere solent האחר Ies. LI, 2. Mal. II, 15. vt sententia sit: *facit, vt prole destituti domum antea vacuam impleant, hoc est, copiosam stirpem habeant*; Psal. CXIII, 9. Alexandrini illud יחורים vertunt μονοτρόπος, quod *Vulgatus* et *Arabs* inepte reddunt *vnus moris*; notat enim *solitarios*. Iosephus de Bello Iud. I. II. c. 21, 1. λησῆς γὰρ ἦν μονότροπος, ἔπειτα καὶ συνοδίαν ἔυρε τῆς τάλμης.





Auctam igitur Israelitarum gentem quomodo tuitus sit Deus, docetur verbis, quae sequuntur מוציא אסירים בכושרות. Hoc vulgo vertunt: *educit vincētos compedibus*, *Kimchium*, *Abenesram*, aliosque Rabbinos secuti, qui putant כ poni loco פ, ac ducendum esse vocabulum a קשר. Iam cum ista litterarum permutatio diligenti interpreti semper debeat suspecta videri: quis non existimet, huic vocabulo vim plane aliam esse subiiciendam, si ad antiquos interpretes delatus, videat, eam notionem ipsis prorsus ignotam esse. Consentunt enim in eo omnes, hoc vocabulum in bonam partem dici. Hinc οί ό vertunt: ἐν ἀνδρείᾳ, vnde *Vulgatus* habet *in fortitudine*, et *Arabs* بَغْوَةٌ. *Symmachus*, a notione vinculorum alienissimus, reddit εἰς ἀπόλυσιν, *Theodotio* ἐν εὐθύτησιν. Ipse *Chaldaeus*, quem miror neglectum hic esse a Rabbinis, veram notionem vidit, vertit enim, *Deum Israelitas ex Aegypto duxisse* כשרין בפומבי *prosperos cum pompa*. Omnium vero optime *Syrus* loci sententiam expressit, qui reddit כְּבִי-מְעִי-לְלֹ, *cum abundantia*, vel *ad abundantiam*, a verbo כִּמְעִי, quod *felicem, prosperum esse* apud Syros significat. Cum hac notione consentit Arabicum كَثْرٌ, quod, vt satis constat, quavis fere Corani pagina legitur, ac *numerofum, copiosum esse* notat. Eam notionem etiam in verbo hebraico כשר superesse, satis docet locus *Cohel. XI. 6*. Haec igitur verba ad exitum ex Aegypto





gypto pertinere existimo, qui semper in maximis beneficiis numeratur, quibus diuina clementia Israelitas cumulauit. Illa igitur abundantia vel *ingentem numerum* indicat, ad quem excreuerat populus in Aegypto; vel ad *terram illam*, bonis omnibus affluentem pertinet, ad quam ducebantur.

Sed alia omnia eueniunt hostibus. Vocabulum סוררים comparandum est cum Arabico شـمـ, quod non modo *malum, improbum esse* significat; verum etiam *aduersari, iniuriam alicui inferre*. Dicitur itaque hic de *hostibus Israelitarum*. Hi habitare coguntur סוררים. Recte exponunt hoc vocabulum magistri Iudaici, qui *petram nudam, calore solis exustam* significari tradunt. Etenim quod *Alexandri- ni, Vulgatus, Arabs* et ipse adeo *Syrus sepulcra* reddunt, id sententiam utcumque expressuri fecisse videntur. Rectius *Aquila: πλήν ἀφισάμενοι ἐσκήνωσαν λεοπετρίανδε. Symmachus* autem *κατοικήσῃσι καύσωνος ξηρότητα*. Neque contemno comparisonem Arabici vocabuli سـمـ, quod auctore quidem Castello, *sonum lapidis petrae illisi* significat. Videndus etiam locus *Ezech. XXIV, 7. 8*. Iam cum eiusmodi faxa nuda sint elegans sterilitatis et inopiae imago: sententia haec est: *at inimici inopia premuntur*. Vera profecto Aegyptiorum descriptio, quos calamitates summae, a Deo immissae, ita afflixerant, ut omnium rerum inopia laborarent.

Transit





Transit vates v. 8. ad aliud beneficium, quod cernitur in datis legibus, populique in desertis Arabiae mira conseruatione. Verbum צַעַר reddidi *ascendere*, comparans Arabicum صَعِدَ, quod idem notat. Quod verbum non modo hic de Deo, montem Sinai conscendente, bene dicitur: verum etiam eandem vim habere videtur, Genes. XLIX. 22.

Describitur iam v. 9. & 10. legis latae pompa iisdem fere verbis, quae Iudic. V, 4. 5. leguntur; inprimis autem illud celebratur, quod Deus vasta illa loca et horrida aptam reddiderit Israelitis habitationem. Formulae גִשְׁם נְרֵבוֹת lucem affundit Arabicum نَدِيْبٌ, quod *largum esse* notat, ac deinde ad *liberales* traducitur; vnde patet *imbrem largum et copiosum* commemorari. Vocabulum נְלֵאָה hic dici videtur de *terra solis calore exusta*, in qua omnia deficient et quasi emoriantur, cum, vt poeta ait,

*exustus ager morientibus aestuat herbis.*

Solent etiam Arabes terram nimis exustam dicere deficientem et *mortuam*. Huc pertinet elegans locus *Corani*, Sur. II, v. 166. vbi Muhammedes e contemplatione naturae notitiam Dei hominibus inculcans, etiam pluuiam commemorat, *quam Deus demittit* وَأَحْبَبًا بِهِ الْأَرْضُ بَعْدَ مَوْتِهَا *eaque vitam reddit terrae post ipsius mortem*. Eaedem formulae recurrunt Sur. XXX, 50. et XXV, 49. Verbum כּוֹן denique vsurpatur de *pluuia tellurem subigente*, et frugibus ferendis aptam reddente; Psal. LXV, 10. Haec de verbo-





verborum grammatica enarratione sufficient. — Quaeritur iam, quae sit loci sententia, et quomodo cum antecessis cohaereat. Equidem vereor, ut ii carminis expositioni consulant, qui hic *de imbre Spiritus Sancti* cogitant, super apostolos effusi, sic enim omnia ad allegorias detorquenda essent, cuius rei causam idoneam video nullam. Tenenda igitur vis verborum propria. Describit vates latae legis solemnias, quae videntur non modo cum ingenti tempestate, verum etiam cum largo imbri coniuncta fuisse; hoc certe traditur etiam Iudic. V, 4. 5. Peculium Iehouae, cum Illustri MICHAELIS puto esse *montem Sinai cum regione subiecta*, quae *Exod. III, 5.* שרן תרן appellatur. Est etiam locus quidam apud Iosephum in *Origin. I. II. c. 12. §. 1.* qui huc pertinet, et ita se habet: τῆτο δ' ἐστὶν ὑψηλότατον τῶν ταύτη ὄρων (loquitur autem de monte Sinai) καὶ πρὸς νομάς ἀρισον, ἀγαθῆς φυσμένης πόας, καὶ διὰ τὸ δόξαν ἔχειν, ἐνδιατρίβειν αὐτῷ τὸν θεόν, ἔ κατανεμηθείσης πρότερον (scilicet ante Moysen) ἔ πολμώντων ἐμβατεύειν εἰς αὐτὸ τῶν ποιμένων. unde patet, opinionem de sanctitate montis fuisse late fusam et antiquissimam. Sententia igitur est, *Deum largis imbribus aestu solis accensas regiones montis Sinai rigasse, ut in istis desertis habitare posset inops Israelitarum turba.* Etiam hoc pertinere ad beneficia inprimis commemoranda, quis non videt? Sed pergendum est in reliquorum verborum explicatione.

C

Osten-





Ostendit vates v. II. quid ista pluuia effecerit. Vocabulum חיתך sunt, qui *coetum* interpretentur. Quae notio quamquam interdum vocabulo subiicienda est, nec aliena videtur hoc loco ab aequalitate membrorum: mihi tamen propterea non probatur, quod vsurpatur fere *de coetu armato, de globo militum*, vt 2 Sam. XXIII, 13. coll. 1. Chron. XI, 15. haec vero notio non videtur cadere in turbam Israelitarum *inermem*. Igitur iterum amplector sententiam Ill. MICHAELIS, qui *feras* intelligit, *istorum locorum incolas*. Non repetam, quae ad ornandam hanc interpretationem scripsit in notis ad LOWTHIUM pag. 561. et ad psalmorum versionem vernaculam. Locis autem, vbi animalia etiam in libris sacris exspectare, atque adeo petere dicuntur pluuiam, a Viro Illustri iam allatis, addi poterit, *Ioel. I, 20*. Quod deinde sequitur בטובתך, illud vulgo vertunt *benigne, pro tua benignitate*; nec ego repugno; vnde etiam in versione posui. Puto tamen *ipsam pluuiam* sic dici posse. Quae, cum in istis regionibus aridis ingens sit beneficium, ab Arabibus κατ' ἐξοχὴν solet *benignitas* seu *misericordia Dei* appellari; veluti *Sur. XXX, 46*. vbi Muhammedes, *demittit*, inquit, *ventos fausta nuntiantes* لِيَذِيْقَكُمْ مِنْ رَحْمَتِي vt *sentiatis eius misericordiam*, hoc est *pluuiam*, cuius nuntii esse solent venti; sic etiam *Sur. XXVII. 64*. conf. etiam *Psal. LXV. 10 — 12*. vt adeo loci nostri sententia sit: *ferae iam in regione recreata habitare possunt; largo imbri aptam eam reddidisti*





didisti etiam inopi Israelitarum multitudini. Omnino liceat, vt huius loci vis et elegantia rectius sentiatur, addere locum similem Corani Sur. XXV. 49. vbi Muhammedes de Deo ita loquitur: ipse est, qui mittit ventos, faustum nuntium ante misericordiam suam, h. e. pluuiam; وَأَنْزَلْنَا مِنْ السَّمَاءِ مَاءً طَهُورًا لِنُحْيِيَ بِهِ بَلْدَةً مَيِّتًا وَنَسْفِتُ بِهِ مَا خَلَقْنَا أَنْعَامًا وَأَنْسَابًا كَثِيرًا et demittimus e caelo aquam puram, vt vitam tribuamus per eam regioni mortuae, ac potemus, quae condidimus, pecora et homines multos.

Progreditur vates v. 12. ad noua beneficia, quae cernuntur in extirpatis hostibus Israelitarum, et redacta in potestatem Palaestina. Et vt haecenus breuiter tantum tetigit res a Iehoua gestas: ita etiam nobilissimas pugnas breuissime indicat, quae, Mose et Iosua ducibus, commissae sunt, et rem Israeliticam vehementer auxerunt. **המבשרות**, quae hic commemorantur, sunt *virgines Israeliticae*, carminibus celebrantes, more antiquo, res popularium feliciter fortiterque gestas; conf. *Exod.* XV, 20. *Iudic.* XI, 34. 1 *Sam.* XVIII, 6. 7. *Ies.* XL. 9. cet. Scio, fuisse, qui de *apostolis* cogitent, Euangelii doctrinam orbi terrarum proponentibus: sed vates loquitur de *feminis*. Sententia igitur est: iam Iehoua suos ad victorias vocat; ingens est feminarum nuntiantium multitudo.





Primum bellum canitur v. 12. Hic versiculus non nisi formulam בית נות habet paullo obscuriorem. Interpretes antiqui cogitarunt de verbo ננה et vocabulum נה verterunt *pulcritudo*, vt οί ό, *Vulgatus*, *Aquila*, *Syrus*. *Symmachus*, affecutus fere veram vim, reddit ἡ διατα τῶ οἴκῳ. Est enim haec formula descriptio feminarum, quae, more istarum regionum, fere semper cohibentur gynaecei angustiis, nec solent in celebritate versari; vid. 2 *Maccab.* III, 19. Quam sedulae autem fuerint olim feminae in diuidendis spoliis, et quam auide inhiarint rebus, maritorum virtute partis, eleganter describitur *Iud.* V, 28 sqq. Mihi videntur, quae hic dicuntur, breuiter tangere illa praelia, quibus, superstitite adhuc Mose, deuicti sunt reges Og et Sihon, trans Iordanem regnantes, *Num.* XXI, 21 sqq. Hoc enim suadent, quae sequuntur, et historia eius belli bene cum hoc loco conspirat; vt adeo hoc velit vates: *iam fugiunt imperatores cum exercitu, fugiunt, et Israelitarum feminae spolia caesorum diuidunt.* Istarum regionum vrbes a victore non deletas esse, sed occupatas, vt statim habitarentur, indicare videtur Mosis narratio, quam modo dixi.

In explicando v. 14, qui recte difficillimus putatur, post Illustrem MICHAELIS breuior esse possum. Non enim commemorabo, quae HVBIGANTIVS mutanda censet; quem satis constat subterfugere solere grammaticae interpretationis molestiam in locis obscurioribus vrendo et secando. Nec reprehendam





hendam *Cel.* STARKII diligentiam, quae medicinam afferre voluit loco, satis, vt videtur, sano. Profiteor itaque, sequi me sententiam Ill. MICHAELIS, qui obscurum vocabulum שפתים et Arabico سغت bibit, interpretatur *canales*, et inesse censet in hoc loco *vitae segnis ac pastoriciae descriptionem*; vid. notas ad LOWTHIUM pag. 562. sq. Quam sententiam eo lubentius amplector, quo magis ea, quae hactenus de hoc carmine diximus illustrat, et aditum nobis patefacit ad explicanda reliqua. Videbantur scilicet Israelitae, reductis in potestatem regionibus trans Iordanem, inuitati vitae otiosae deliciis, ad imminens bellum et expugnandam Palaestinam ipsam tardiores: cui suspitioni cum locum dedissent quaedam tribus, satis constat, quam seuerè Moses reprehenderit eam ignauiam; qua de re legenda sunt, quae ipse narrat *Num. XXXII. 5. sqq.* Hinc, demtis imaginibus, hoc vult vates: *at vos Israelitae, nolite, capti illecebris vitae mollis et otiosae, ea negligere, quae occupanda supersunt.*

Venio iam ad locum, v. 15, quem adeo desperatum existimat Ill. MICHAELIS atque depositum, vt coniecturam criticam adhibendam censeat, ac pro צלמן legi iubeat ציון, nullo quidem auctore, quod ipse fatetur; sed negat, lectionem receptam intelligi posse. Comparat porro Hebraicum שלג cum Arabico تلج, quod est *laetari*, ac vertit: *altissimo reges in ea constituenta, voluptate perfundebatur Sion* — STARKIUS *V. Cel.* eodem nomine צלמן offensus, legendum censet





censet צלמות, cui ex Arabico ظلمة notionem *obscuritatis* et *tenebrarum* subiicit. Quam emendationem *Chaldaei* auctoritate firmat, qui מטלה דמותא, *mortis umbram*, interpretatus sit. Sed ut taceam, totum locum a *Chaldaeo* perfime perueriti; vereor etiam, ut sic legerit, cum צלמן nomen appellatiuum putasse, et, qua solet uti in vertendo licentia, ei videatur umbrae vim tribuisse. Aliorum interpretum opiniones consulto praetermitto, cum plerique allego-riarum ludibria proponant et ad sententiam mysticam, nescio quam, delabantur; quod non est enarrantis, sed inscitiam pietatis specie occultantis. Liceat igitur exponere, quae mihi in mentem venere; si peccauero, error erit in loco, tot difficultatibus impedito, excusatio. Quoniam igitur, ut haecenus monuimus, breuiter canit vates beneficia Dei ea, quae cernuntur in pulsis Israclitarum hostibus; et in antegressis concitauit segnes populares ad prosequenda bella: ipse rerum gestarum ordo nos ducit ad *bella cis Iordanem* gesta. Probabile autem est, virum diuinum in tanta breuitate, qua haecenus antiquam historiam delibauit, non nisi pugnas commemoraturum esse nobiliores, reliquas praetermissurum. Mihi vero nulla pugna videtur illustrior et notatu dignior, quam duce Iosua cum rege Hierosolymorum eiusdemque sociis commissa; quae coniuncta fuit cum ingenti miraculo solis per integrum diem non occidentis; *Ios. X. 1* sqq. Iam eo loco, ubi hostis caesi fuga commemoratur, *Ios. X. 10. 11.* tradi videtur, partem victi exercitus sese effudisse septentriones versus, ad  
Beth-



Bethhoronem superiorem, et regiones, vrbi Sichem vicinas; alteram partem ad Austrum fugisse, ac petiisse Azecam et Makedam. In fugam conuersos afflixit ingens grando, qua, vt perspicue tradit scriptor sacer, plures periere, quam victoris gladio. Iam cum Salmon mons sit, ad urbem Sichem situs, *Judic. IX. 48*; poterit forsitan hanc rem in animo habuisse vates. Etenim verbum פֶּרַשׁ esse *diuidere, dispergere*, non modo patet ex Arabico فَرَسَ: verum etiam Iudaei lubenter concedunt. Illud בַּהּ videtur ad ommissum nomen אֶרֶץ referendum, cuius ommissio, quantumuis durior, carminis breuitate excusanda est. Verbo הַשֵּׁלֵגַל *albescendi* vim tribuo, quam *Vulgatus* iam vidit, qui vertit: *niue dealbabuntur in Salmon*; conf. *Ies. I. 18*. Vnde oritur sententia: *cum Deus spargit per terram reges, albescit ad montem Salmonis, seu alba grandine tegitur regio Salmoni adiacens*. Postquam igitur prouocauerat vates v. 14. populares ad noua praelia, rapitur statim ad nobilem illam pugnam, quae fecit, vt vsurpari posset de populo Israelitico illud poetae:

*O nimium dilecte Deo, tibi militat aether,*

*Et coniurati veniunt ad praelia venti.*

Equidem non dissimulo, multis difficultatibus etiam hanc interpretationem laborare, quamquam carminis argumento, et inprimis rerum commemoratarum ordini consentanea sit. Cur enim Salmon, ignobilis profecto mons, hic potissimum

fimum





simum nominetur, nemo dixerit. Nec satis certum est, utrum fugatus Cananitarum exercitus eam regionem attigerit, cum obscurior, certe ambigua sit rei apud Iosuum narratio. Sed haec forsitan rectius perspiceremus, si pugnae περιόσεις omnes memoriae proditae essent; Fortassis etiam alius mons, loco pugnae propior, id nomen habuit. Ceterum eo consilio haec proposui, ut aliorum etiam studia prouocarem, quibus nostra vel emendentur, vel noua inueniantur ac meliora.

Ea pugna, de qua haecenus verba fecimus, partes Palaestinae australes Israelitis subiecit. Expugnanda igitur supererant loca septentriones versus, ad montem Libanum, sita. Factum hoc est alia pugna, istam statim excipiente, quam Iosua ad aquas Merom commisit; *Ios.* XI. 1–9, imprimis huc pernet v. 17. Illud bellum iam cani puto; quod ut clarius intelligatur, verba ipsa paucis explicabo. הר בשן esse eam *Libani partem, quae Iordanem fundat*, notum est. Nec quemquam hic impedire debet vetustorum interpretum auctoritas, qui montem pinguem reddunt, cogitantes, ut videtur, et alii iam monuerunt, de Arabico *بش*. Formula הר בכננים vulgo vertitur *mons collium*; non inepte. Etenim verbum *בב*, quod apud Hebraeos non amplius superest, Chaldaeis, Syris et Arabibus dicitur de lacte coagulante, vnde etiam *casei* nomen apud Hebraeos, Chaldaeos, Syros et Arabes ab eo verbo ducitur, *Alexandrini* interpretes hoc loco vim verbi propriam viderunt et expresserunt, vertunt enim ὄρος τετυρωμέ-





וּוּ, sequace *Vulgato*, qui reddit: *mons coagulatus*. Inde videtur traduci *ad loca aspera et impedita*; eam certe vim habet Arabicum جبانة. Erit igitur הר גבננים *mons asper, multis collibus et cacuminibus eminens*; quae interpretatio ab istius montis natura non abhorret. Nec repugno, si cum *Ill. MICHAELIS montem concretum*, hoc est, *perenni glacie ac niuibus tectum* interpretari volueris; nam et hoc, neque a lingua, neque a natura montis alienum est, qui ipsis magistris Iudaicis in Thalmude תור תלגא dicitur. Quoniam denique vocabulum גבינין apud Chaldaeos *supercilium, palpebras* significat, *Leu. XXI, 20.* in Thargum *Ionathanis* et *Hierosolymitano*; aliam inde ac nouam interpretationem elici posse putat *Ill. MICHAELIS*, et montem cani existimat, *insidiosè propendentibus palpebris alios obseruantem*. Sed liceat hac in re Viri Doctissimi sententiam deserere. Etsi enim non sperno obseruationem eam, quae Chaldaicum vocabulum cum Hebraico comparat: nouam tamen interpretationem inde duci posse non puto. *Aquila* iam eam vim, quam Chaldaicum גבינין suadet, vidit et expressit, vertit enim: εἰς τι ἐρίζετε ὄρη ὀφρυωμένα. Sed hoc non indicat montem insidiosè alios spectantem et obseruantem; sed montem *cliuosum, multos tumulos habentem*. Etenim sic dici vocabulum Graecum, vt iam scriptores humanos mittam, locus ille docet apud *Lucam* Cap. IV, 29. ἤγαγον αὐτὸν ἕως ὀφρύος τῆ ὄρεος. Etiam optimi scriptores Latini hanc formulam amant; *Virgilius Georg. l. I, 108.*

D

*Ecce*





*Ecce supercilio cliuosi tramitis undam*

*Elicit — — —*

Eodem modo *Hirtius* in libro *de bello Africano*, *supercilium*, inquit, *quoddam excelsum nacli, non longe a Caesaris castris aciem constituunt; ex quibus efficitur montem superciliosum esse montem multis cacuminibus asperum*, et hac obseruatione eam explicationem, quam supra posuimus, confirmari. Habet igitur versiculus hanc vim: *mons Basanitidis Dei mons est, mons Basanitidis, asper ille ac niualis; hoc est: iam iugum quoque Basanitidis duce Iehoua expugnatum est, et ad eam terram accessit, cui praeest Iehoua. Quoniam enim in istis bellis Iehoua ipse erat Israelitarum imperator, terra occupata dici potest in eius potestatem redacta.*

Haec editissimi montis, ac multis nominibus celeberrimi, notio rapit vatis animum ad recens beneficium Iehouae, quo factum erat, vt, rebus populi sui interfuturus, Sionem sibi deligeret sedem. Praetermissis igitur reliquis, quae de beneficiis Iehouae dici poterant, elegantissima *προσωποποιία* vtitur, quam iam enarrabo. Notandum igitur est, quam, *Chaldaeo* et magistris Iudaeorum praeceuntibus, potestatem solent vulgo subiicere verbo *רצר*, eam esse falsissimam ac fictam. Obseruarunt enim iam alii, eius verbi veram vim esse *insidiari, obliquis oculis aliquem spectare*, quod solet esse signum *invidiae*; non autem *exsultare, subsilire*, vt illi temere explicant.





cant. Quae obseruatio non modo firmatur Arabico *أصغر*, verum etiam vetustorum interpretum testimonio, qui si a *Chaldaeo* discesseris, omnes fere *aemulationis et inuidiae* notionem expressere. *Alexandrini* quidem *ἰνατί ὑπολαμβάνετε*, quod *Vulgatus* exprimit: *ut quid suspicamini*; et sic etiam *Arabs. Symmachus*: *εἰς τί περισπυδάζετε*, sequace *Hieronymo*. *Clarissime Aquila*: *εἰς τί ἐρίζετε*. Vt paucis expediam, vates elegantissime fingit, *editos illos magnosque montes*, quorum *Deus* videretur in primis debuisse rationem habere, *inuidia discrucari, cum videant, Deum Sionem, collem depressiorem et nudum, praeferre, et ibi maxime arcam suam collocare*. Docet etiam, eam inuidiam esse vanam, ac *Deum* ibi semper habitaturum.

Ne quis tamen existimet, *Iehouam* esse ex eorum *Numinum* genere, quae singulis regionibus praesint, singulasque gentes gubernent: statim addit, *Iehouam* etiam in caelis regnare, eiusque imperium aliquando ita iri dilatatum, vt vniuersum genus humanum complectatur. Hacc enim indicari videntur v. 18. et 19. Vocabulum *רכב* *Syrus* interpretis iegit *רכב*, quam lectionem sequitur in versione vernacula *III. MICHAELIS*. Mihi hac mutatione non opus esse videtur, si vocabulo *רכב* subiiciatur notio *exercitus* seu *copiarum*. Hanc inesse puto in loco *2 Reg. II. 12.* vbi *Elisa* clamat, *Eliam*, sursum subito raptum, esse *currum Israelis* eiusque *equites*; cuius loci sententia est, *in hoc viro situm esse imperii robur, hunc copiarum et equitatus loco esse*. Hic idem

C 2

nomen





nomen de *angelis* vsurpari existimo: eos enim saepissime dici in libris sacris *copias et exercitus caeli*, notum est. Ita fere etiam IOH. GOTTL. PFEIFFER vocabulum רכב intellexit in *commentat.* I. ad hunc Psalmum. Cuius viri commentationes paullo serius, cum maxima pars libelli nostri iam esset typis exscripta, inciderunt in manus, ac propterea iam a nobis commemorantur, quod is antiquiorum huius psalmi interpretum facile princeps est, et in iis, quae ad v. 5. de formula ביה שמו disputauimus, suo nos firmavit suffragio. Video etiam interpretationem v. 14. quam III. MICHAELIS maxime deberi putaueram, ab hoc viro iam occupatam esse. Verba, quae sequuntur, סני בקרש, vertenda videntur: *Sinai pro sancto seu templo est*, scilicet *ei*; vt sententia sit: *Deus praeest innumeris fere angelorum copiis, idem ille, cuius templum etiam Sinai est*, v. 9. 10. Nec tamen repugno, si quis existimet, illud כ posse cum Beth essentiae Arabum comparari, quo vtuntur ad exprimendum nominatiuum qualitatis; vt in formulis أَنَا بِشْهَيْدٍ, *ego sum testis*; اللَّهُ بِغَدِيرٍ, *Deus est potens* cet. Sic verti potest: *Sinai est sanctus* scilicet *ei*. Solet enim illud כ saepius etiam apud Hebraeos occurrere; veluti *Psal.* CXVIII. 7. LIX. 6. qui loci ab *Alexandrinis* accurate translati sunt. Res ad idem redit — Sed surgit vates altius v. 19. et praesentit animo ac prospicit illud tempus, quo Iehoua solemniter modo in caelum ascensurus, late regnaturus, et reliquas etiam gentes gubernaturus esset. Pergit enim:  
*ascen-*





*ascendis ad caelum, captiuorum ducis agmina.* Haec formula ex istorum temporum more illustranda est, quo captiui solebant a victoribus ad seruitutem deprimi; vid. *Iudic.* V. 12. 30. Haec agmina deuictorum *homines* esse videntur, *religionem Christianam amplexi*; nam eiusmodi formulis eam rem in libris sacris describi, docet vel vnus locus *Ies.* LIII. II. 12. adde *2 Cor.* X. 3 – 6. Si enim vera sunt, quae ab initio monuimus, filium Dei esse Iehouam illum, quem hoc carmine celebret diuinus vates: nemini iam haec interpretatio dura videbitur. Facile etiam intelligitur, non accommodando ad Christum traxisse, sed ex mente vatis diuini interpretatum esse Paullum apostolum hunc locum *Eph.* IV. 8. — Formula, quae sequitur, ab apostolo exprimitur: ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις. Dilcedit igitur ab Alexandrinis, qui verterunt: ἔλαβες δόματα ἐν ἀνθρώπῳ, atque etiam, vt videtur, a verbis Hebraicis לקחת מתנות באדם. Mirum etiam est, *Syrum* et *Chaldaeum* in reddendis Hebraicis cum apostolo consentire: hic enim vertit: יהבתא להון מתנן לבני נשא; ille vero ἔλαβον δόματα ἀπὸ τοῦ κυρίου. Neque tamen aliam lectionem secuti sunt; nam Hebraica ad verbum conuerti possunt: *accepisti dona pro hominibus*, et verbum לקח passim notat *accipere aliquid, vt aliis des*; vid. *1 Reg.* XVII. 10. *Genes.* XXXII. 14. Munera autem illa cernuntur in *beneficiis*, quibus suos affecit Dominus, postquam sublimis in caelos abierat, inprimis autem in *Spiritus Sancti donis*, quibus primos sectatores suos exornauit; *Acl.* II. 33. — ואף סררים *etiam*





*iam rebelles et oppressores, scilicet שביה. Constat enim, Christianorum hostes vel vi repressos esse, quod Iudaeis maxime accidit, vel sensim transiisse ad sacra Christiana, et coaluisse cum ea Iudaeorum parte, quae Christum sectaretur, quod fecit vniuersus orbis Romanus. — Addit denique, ea re factum esse, vt Iehoua non amplius in Sione solo, sed inter hos etiam habitet, hoc est, late regnet. Loci itaque, quem haecenus tractauimus, sententiam ita eloquor: quamquam Iehoua in Sione habitat; nemo tamen existimet, eum Palaestinae finibus circumscribi; praeest enim innumeris copiis caeli, idem ille Iehoua, qui montem Sinai praesentia sua condecorauit. Ascendit etiam ad loca summa; victor capta ducit reliquarum gentium agmina, quae eius imperium agnoscunt; exornat suos muneribus, et sic ibi quoque habitat et regnat, ubi antea hostes fuerant. — Haec haecenus; reliqua, si Deo visum fuerit, alio tempore.*



Coll. diss. A. 234, misc. 29















